

unum aliquem SUPREMUM agnoverunt; eundem tamen talibus insigniverunt notis, ut coeli terrarumque Domino nihil indignius cogitetur.

XLII. Huc mira accessit morum perversitas et scelerum quasi publica et sacrata auctoritas: quidquod progrediente indies vitiositate omnis procul dubio *moralitatis sensus* extinctus tandem fuisset, nisi singularis quaedam divini Numinis providentia generi humano a suis quasi incunabulis adfuisset, et semina *veri bonique* huc illuc sparsa conservasset.

XLIII. Quæ cum ita sint, sperare haud licuisset, ut corrupti mortalium animi suo tempore meliora aliquando capefferent, et puriorem religionis formam nanciscerentur. Una ad resipiscentiam via superest, quando scilicet a Numine extra rerum naturam sito medicina adhibetur, omnibus difficultatibus contra nitentibus sufficiens.

XLIV. Fuere quidem nonnulli, qui revelationem inter res problematicas aut omnino impossibiles reposuerunt: at primi fidem